





400
SPECIMEN ALTERVM
DE
INDOLE PRAESVM-
TIONVM IVRIS

QVO
AD ORATIONEM IN AVGRALEM AVDIENDAM

QVA

MVNVS PROFESSORIS IVRIS ORDINARII

CLEMENTISSIME IPSI DEMANDATVM

D. V. MAII MDCCCLXXXIV

SVBITVRVS EST

OMNI PIETATE INVITAT

AC SIMVL

PRAELECTIONES SVAS ACADEMICAS INSTANTI SEMESTRI

AESTIVO HABENDAS

INDICIT

IOANNES NICOLAVS MOECKERT, D.

MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS BRVNSVICO - LVNE-
BVRGICI A CONSILIIS AVLAE, PROFESSOR IVRIS ORDINARIVS, ET FACVLT.
IVRID, ASSESSOR,

G OT T I N G A E,
APVD IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.
ACADEM. TYPOGR.



SPECIMEN ALTELLIN

ae

INDOLE PRAESUM
TIONVM TARSIS

679

MAGISTERIUM IN MATERIA AVAIZIDAM

UNIVERSITATIS IMPERIALIS FRANCISCAE ORDINARI

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

DE MATERIA MEDICA

ET PHARMACEUTICAE

TATIVS STADTENSIS

FRANCISCAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

LOUIS NICOLAI'S MOTCERIT. II

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE


CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

GOTTINGAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE

CLINICAE MEDICOLOGICAE ET PHARMACEUTICAE



§. I.

Vix quicquam grauius onere probandi in foro cogitari potest. Quaeſtionum excuſſio, quis probare debeat, quidque probandum sit? haud raro turbat cauſſarum patronos et torquet ingenia iudicūm, cum ſaepenūmero defint veritatis mathematicae, ſeu apodicticae, argumen ta, et haerendūm ſit incertiſ et rationib⁹ veriſimilibus. Confugiendum igitur eſt ad ea, quae probabiliſa videntur, quae abſoluuntur praeſumtiōnib⁹. In hiſ plerumque vertitur omniſ cardo. Quid igitur miri eſt, ſi inter argumen ta iuriſ praeſumtiōnium doctri nae ratione neceſſitatiſ, qua illis opera danda eſt, tribuat ur palma

palma? At quo magis earum natura intentis oculis contenplanda est, eo minus perhorrescere licet difficultates, quibus illa implicatur. Quae in sensus incurront, et quae nexus in diuiso coniuncta argumentatione cogitamus, nostram convincunt mentem, quod secus se habet vnu praeumptionum, quae tantum non semper mentem tenent ancipitem et ambiguam. Qua in re, quo tandem judices se vertant, quamque elegant decidendi normam, aut fugiant, saepe nesciunt; quorum vero insectia litigantibus valde damnosa animaduersione non vacat. Quam ob rem non operae pretium perdere mihi videntur perscrutaturi veram praeumptionum indolem, quarum notitia iudicem ad caussas cognoscendas et decidendas multum prodest. Eo consilio idem argumentum distinctius, quam fieri solet, nuper exponere conatus sum *a)*, et non solum, quid sit praeumptione iuris, definiui, eiusque divisiones, quae cuiusdam ponderis sunt, suppeditauit, sed etiam, quomodo illa ab aliis distet, explicare incepi. Quem abrui, nunc duco filium, quasdam differentias additurus, et naturam iuris praeumptionum diligentius subiectis exemplis, et speciebus huc spectantibus, aperturus.

a) Specim. de indole praeumptionum iuris. Rintelii 1782.

§. II.

PRAESUMTIO IVRIS DISTINGVENDA EST A FICTIONE IVRIS.

Fictiones sunt dispositiones legum, quibus ob aequitatem falsum, in facto suppositum, pro vero habetur. Huius rei exempla sunt legitimatio, et actio publiciana. Legitimatio enim liberi, qui natura legitimi non sunt, declarantur legis

legis ope legitimi, et actione publiciana facta ponitur usucatio rei, quam petit actor. Mendaciis male adscribuntur a quibusdam fictiones iuris b). Etsi a vero aberrent, nemini tamen verum afferunt damnum. Etsi, verbi causa, legitimatione per subsequens matrimonium liberi ante matrimonium nati cum liberis legitimate natis iuris succedendi reddantur participes, hi ex eo tamen laesi dici nequeunt. Ius enim succedendi eis ex legis dispositione, seu voluntate legislatoris, competit, et maxima ex parte parentum, quae inuitis illis recte mutari potest. Conueniunt quidem fictiones et presumtiones iuris in eo, quod lege nitantur et aequitate, attamen longe a se inuicem distant. Fictiones iuris nihil dubii relinquunt tanquam ipsae leges, deinde profiscuntur a voluntate legislatoris, adeoque legibus arbitrariis seu positivis, aperte a vero recedunt, quod secus in presumtionibus iuris. Haec enim sustinentur verisimilitudine; quae non omne excludit dubium, non minus a legibus positivis sufficiuntur quam ipso iure naturae, et matres veri recte habentur c), cum fictiones sint filiae stricti iuris.

b) G. G. TITIVS in disputat. iurid. disp. IV. §. XXI.

TOB. IAC. REINHARTH de visu et non visu praktico doctrinae de fictionibus iuris. Gotting. 1735.

c) I. C. HEVSER diss. me praeside habita de affirmatione in iure ad varias species applicata. Rintelii 1772.

§. III.

PRAESUMPTIONES IVRIS DIFFERENT RATIONE OBJECTI AB INDICIIS.

Quae iure ciuili presumptionum nomine iuris veniunt, iure criminali appellantur indicia: quae sunt deducta ex circum-

stantiis argumenta probabilia criminis eiusque auctoris, seu circumstantiae, vnde praesumtiones criminis eiusque auctoris capiuntur d), *Anzeigen*, *Muthmassung*, *Wahrzeichen*, *Argwohn*, *Verdacht*. Indicia requirunt argumenta, quae verisimilitudinis speciem prae se ferunt, delictum esse commissum. Necessario nexu, vt auctor in censem veniat, sequitur, cum delictum sine auctore cogitari nequeat. Omne indicium inuoluit praesumptionem, sed non verso ordine; indicium enim semper est praesumptio existentis delicti, et praesumptio quaevius non semper est argumentum probabile delicti. Quae cum ita sint, praesumptionem iuris esse latiorem, et indicium angustiorem notionem, adeoque hoc ab illa ratione rei obiectae differre, constat. Quia praesumptio et indicium mirum in modum coincidunt, indicium, propterea quod ob maiorem gradum probabilitatis praesumptio *qualificata*, et ob minorem, *simplex* dicitur, pro gradu verisimilitudinis alio nomine modo *proximum*, modo nuncupatur *remotum*.

d) I. S. F. DE BOEHMER meditat. ad C. C. I. art. XVIII. et XIX.
IDEM in obseruat. select. ad CARPZOV. prax. crim. ad quaest.
CXIX. obs. I. HEYSERI diff. cit. §. X.

§. IV.

FUNDAMENTVM PRAESUMTIONVM IURIS MINVS RECTE
PETITVR EX OBIECTO.

Si fundamentum praesumptionum iuris quaeras, ICTi in alia ac alia ruunt. ALCIATVS, MENOCHIVS, aliquie multa verba de praesumptionibus fecerunt, non cupidi curae, quid earum sit fundamentum. Alii principium cognoscendi petunt

ex

ex viginti duabus sedibus, nimirum ex causa, persona, loco, tempore, qualitate, taciturnitate, utilitate, fletu, fuga, negligentia, conuersatione, familiaritate, vicinitate, obscuritate, euentu, dignitate, quantitate, dilectione, societate, frequentatione, aetate, quantitate, quibus alii addunt famam, tanquam causam, ex qua prae sumptiones procedunt e). Alii omnem rem confecisse sibi videntur, si prae sumptiones quibusdam classibus adscriberent, rati, omnes prae sumptiones reduci posse ad has tres regulas: naturalia semper prae sumuntur, res prae sumuntur in eodem statu, siue mutatio non prae sumuntur, prae sumptio fieri debet in meliorem partem. At neque hi neque illi recta incedunt via; et tantum abest, ut rationi et memoriae inferiant, ut potius illi repugnant, et hanc plus iusto onerent. Ex rebus obiectis non recte prae sumptionum petitur fundamentum, sed ex principiis.

e) I. H. BÖTTICHER diss. de prae sumptionibus. §. XXIX. seq.

§. V.

QVAE SIT RATIO ERRORIS, EXPOSITVR.

Cur icti haud raro in cognoscendis rerum causis a vero aberrent, ratio facile reddi potest, si eam vitae rationem plente intueamur, qua sequi solent Themidos castra. Plurimis ea fedet opinio, philosophiae et iurisprudentiae studium longe a se distare, nec alterum sustentari altero. At mirifice falluntur: ut taceam, veteres iureconsultos iurisprudentiam dixisse philosophiam iuris f), nullum genus disciplinarum subliidis philosophicis magis eget, quam iurisscientia. In applicandis legibus non solum facti natura, sed etiam eius circumstantiae

stantiae diligentissime animo sunt perpendendae, id quod philosophis est proprium. A Igitur idem quidem at obscurius exprimitur hac praepositione, minima circumstantia variat rem, et is modus eligitur, quo speciem ex specie, seu ut apud eos-
vnu venit, casum ex casu, seu praxi, contra veram legis rationem decidant. Ex legis ratione, id est, ex rerum caussis, non ex exemplis, caussae controversae sunt decidenda g).

f) L. X. §. II. D. de iustit. et iur. Veteres sacerdotes sapientiae et iustitiae, omnes res aut deorum aut hominum causa esse creatas opinati sunt, qua propter illas nominarunt diuinas, has humanas. Cum igitur ex eorum sententia philosophia esset scientia rerum diuinarum humanarumque, quod ad idem reddit, si WOLFFIVS eiusque amici minus latine asserant, philosophiam esse scientiam omnium possibilium, facile perspectu est, adiunctis verbis, cum iusti iniustique notitia, ex mente veterum, iurisprudentiam nihil aliud esse, quam philosophiam iuris.

g) L. XIII. C. de sententiis et interlocutionibus omnium iudic.

§. IV.

FUNDAMENTVM PRAESUMPTIONVM IURIS EST IUS NATVRAE, AVT IUS POSITIVVM.

Ex quo fundamento leges explicare debemus, ex eodem lucem accipiunt presumtiones iuris. Leges sunt duplicitis generis, aut naturales aut positivae. Eadem est ratio presumptionum iuris, aut enim ius naturae, aut voluntas legislatoris earum habetur fundamentum. Tertium esse, nego. Nam si quid in iure interim verum habetur, ratio reddi debet, aut

ex

— — — —

9

ex rerum notionibus, aut ex legislatoris arbitrio. Iura ali-
unde proficii, ignoro. Si nobis occurras, omnem iuris pru-
dentiam niti philosophia et historia, nobis re vera non re-
pugnas. Declaratio enim voluntatis principis pertinet ad ea,
quae fiunt, adeoque ad historiarum genus. Quae cum ita sint,
praesumtiones iuris vel esse *iuris naturalis*, vel *iuris positivi*, ani-
maduertimus. De singulis seorsim.

§. VII.

PROBATIONIS INDOLES EVOLVITVR.

Inter media probandi referuntur praesumtiones iuris. Eo
consilio ita de iis agendum est, ut semper habeatur probationis
ratio. Probatio vero ex mente philosophorum est deductio
propositionis ex principiis. Ad probationem requiritur, pri-
mum ut ponatur propositio, id est ea relatio idearum, ut al-
tera ad alteram siue affirmando siue negando referatur, deinde,
ratio patefiat, cur altera ad alteram referatur, seu quod idem
est, cur praedicatum cuidam rei dicta ratione tribuatur. Omnis
igitur probatio consistit in determinatione rationis, cur alterum
alteri affirmando vel negando adscribatur. Quamquam ICtis
alii definitio probationis sit solemnis, re tamen accuratius per-
specta, cum illa conuenit et conuenire debet. Quomodo enim
de ueritate fasti aliter fides fieri potest, quam enarranda
causa, cur hoc illudue rei competit, vel are separandum sit?

B

§. VIII.



§. VIII.

FUNDAMENTVM PRAESUMTIONVM IVRIS NATVRALIS EST,
MVTATIO NON PRAESVMITVR.

Quibus praemissis ulterius progredior. Quaecunque res, siue casus, sua habet praedicata seu attributa, si ea latius accipiuntur. Haec praedicata a re abesse possunt, vel minus; si posterius putes, a lCtis dicuntur *substantialia*, a philosophis immutabilia: si prius cogites, ea vel re nude posita adsunt, nisi alia ad rem accesserint, vel non; si hoc, nomine *accidentalium insigniuntur*, si illud, *naturalium*. Quae si inter se compares, tria genera propositionum probandarum sunt possibilia. Primum, si substantiale rei tribuendum vel negandum sit. Hac in re ex regula non opus est probatione. Quis enim exiget in fofo probationem, verbi gratia, vtrum ad emtionem venditionem pertineat consensus seu pretium: si alterutrum desit, cessat emtio venditio. Sed longe aliter se res habet in altero et tertio genere. Qui enim, naturale a re abesse, negat, vel accidentale adesse, affirmat, non immunis est ab onere probationis. Deinde si, accidentale in re adsuisse, constet, abesse non praesumitur. Vtriusque propositionis iuris principium est, mutatio non praesumitur. Id quod solum *vnicumque* fundamentum praesumptionum iuris naturalis recte habetur. Omnes aliae praesumptiones iuris naturalis ex eodem sequuntur fundamento. Fac, re vendita et tradita, emtorem, se statim ad pretium soluendum esse obstrictum, negare, vult, vt absit emtionis venditionis naturale, adeoque in sensu iuridico affirmat h), et probare tenetur. Naturalia enim praesumuntur. E contrario venditor, qui, vt pretium in quodam genere aurearum monetarum, quae vslu non veniunt, exigit, probare

bare debet. Accidentalia enim non praesumuntur. Quodsi vero quidam munere publico, quod accidentale hominis habetur, ornatus est, eo esse priuatum non praesumitur.

h) Commentatio mea de affirmatione in iure. Rintelii, 1767.

§. IX.

FVNDAMENTVM PRAESUMTIONVM IVRIS POSITIVI EST VOLVNTAS PRINCIPIS.

Transeo ad praesumptiones iuris positivi, quae nituntur legibus positivis, seu voluntate legislatoris. Ne vero quis putet, absque omnibus limitibus principem leges ferre posse; sibi persuadeat, eas aliter dari non posse, nisi conueniant iuri naturae, contra quod nec Deus nec homo quicquam statuere potest. Tantum potestas addendi et detrahendi ea, quae status rei publicae requirit, ei relicta est. Sicuti in testamento heredis institutio ex iure romano est basis; ita ius naturae in omnibus partibus iurisprudentiae positivae habetur. Sunt, quae iure naturae non satis sint determinata, quae addendo legislator recte accommodat ad statum reipublicae. Hac ratione delicta ex iure naturae aequa ac ex iure positivo sunt prohibita; sed quantitatem et genus poenarum determinatum non definit ius naturae; verbi causa, furto omni iure prohibito iure naturae non praecise inhaeret poena suspendii; quapropter legislator, rebus ciuitatis ita suadentibus, addendo ius naturae sapienter supplet. Opposita ratione multa, si ius naturae spectes, arbitrio hominum sunt relicta, vti, cuique hominum, se paciscendo vel fideiubendo obligare licet. Cum vero apud romanos quodam tempore hoc arbitrium humanan agendi videretur rei-

B 2

publicae



publicae nocuum, legislatores romani hanc potestatem fideiubendi in foeminis restrinxerunt. Duplici igitur ratione imperanti solum leges ferre permittitur. Ita, nec aliter, oriri possunt praesumtiones iuris positui. Quos cancellos legislator si egreditur, abutitur potestate sibi commissa, et saeuit in rem publicam.

§. X.

PRAESVMTIONES IVRIS NVMERO CERTO CONTINERI NEQVEVNT.

Quae si mente intueamur, praesumtiones iuris numero quodam definito constringi non possunt. MENOCHIVS quidem, aliique copioso colligerunt volumine praesumtiones, sed earum fontem exhaustire non potuerunt. Exempla dederunt. Ratio est in promtu. A philosophis iure ac merito traditūr, omne id, quod existit, esse omnimodo determinatum, seu indiuiduum, et res existentes perfecte easdem non dari. Ita fert vsus loquendi apud philosophos receptus. Quam ob rem, cum cauae controuersiae, vel si maiis, casus, sint indiuidua, casus cum aliis maxima ex parte raro conuenire, nemo infitias ibit. Quaelibet igitur res, quilibet casus, habet sua et propria substantialia, naturalia et accidentalia.

§. XI.

RES PRAESVMITVR IN EODEM STATV PERMANERE, IN QVO EST.

Generalibus principiis de praesumptionibus iuris expositis, redeo ad praesumtiones iuris naturalis, easque quibusdam confirmabo

firmabo exemplis. Cum mutatio non praesumatur, res in eodem statu, in quo est, remanere censetur. Inde colligitur, testatorem sana mente fuisse, licet moribundus testatus sit, nec testamentum conditum, et si iamdiu sit conditum, si res dubia sit, reuocatum haberi, ut obligatio pactitia existens in perpetuum durare prohibetur. Eadem ratione tritum illud nouimus iuris proverbum: quod non abrogatum est, stare non prohibetur.

§. XII.

QVILIBET PRAESUMITVR BONVS.

Ex eadem ratione commonstratur, quemlibet praesumi bonum, nec dolose agere. Multis verbis contendere, me hoc loco principiis philosophicis, nec theologicis, inferuire, non attinet. Ea est indoles mentis hominis, ut ad se perficiendum omni studio feratur. Idcirco ea appetit, quae sibi bona videntur, licet, eum boni sensu tactum interdum falli, negari nequeat. Consentunt certe, si naturam humanam in se spectatam consideres, omnes eius actiones in eo, ne sibi et aliis noceat, quia, nocendo aliis, sibi re vera nocet. Quo sensu homo non praesumitur malus *i)*, nec delinquere, sed, si rem possideat, eam bona fide possidere videtur.

- i)* L. XXV. §. I. C. de probat. L. LI. D. pro soc. L. VI. C. de dolo malo. L. X. C. de rescind. vend.

§. XIII.

IVDEX PRAEVIA CAVSSAE COGNITIONE DECIDERE PVTATVR.

Simili modo colligitur, iudicem caussam, praevia eius cognitione, decidisse. Cum enim iudex vinculo iurisiurandi

B 3

obstri-

— 2 —

obstrictus sit, ne officio obuersetur, et delicta non praesumantur, facile cognita est, iudicem, nisi alia constent, non fidem fregisse et male decidisse *k*). Neque nobis obstat, si quis dicat, iudicem inhabilem, officio suo, esse imparem, cum hic non de inhabili, sed iudice habili sit sermo.

k) L. II. C. de off. ciu. iud.

C. VI. X. de renunciat.

C. XVI. in fin. X. de re iud.

L. III. §. I. D. de iniur.

§. XIV.

SI RES DVBLIA EST, PRAESUMTIO FIT IN MELIOREM PARTEM.

Posset in dubium vocari, vtrum praesumtio semper in meliorem partem fieri deberet, quia si res melior fit, quam antea fuit, mutatio intercedit, quae non praesumitur. At nihil obest, quo minus in dubio praesumtio in meliorem partem fieri possit. Res enim fit deterior aut melior. Illud rei assert damnum, hoc fecus. Aequitati vero, seu iuri naturae, conuenit, in ambiguis sequi benignorem sententiam *b*) Qua propter reo criminis, si ei alternativa poena imposta sit, electio poenae non denegatur *m*).

l) L. X. §. I. D. de reb. dub.

L. LVI. L. CXCII. §. ~~ix~~. D. de R. I.

m) reg. LXX. in 6to.

§ XV

§. XV.

QVI DELINQVIT, IN DOLO ESSE CENSETVR.

Quemadmodum naturalia rei abesse non praesumuntur, ita quoque accidentia, si, in re existisse, constet, cessare non putantur ob vniuersalem regulam, mutatio non praesumitur. Quod est in caussa, cur, qui delinquit, in dolo esse putetur n).

Delictum enim non tam ex actione legi poenali repugnante, quam ex animo, et conscientia criminis, qua agitur, di-
judicatur. Quae si omnia ad sint accidentalia, de veritate illius propositionis dubitare non licet; etsi interdum, aliis re-
bus circumstantibus positis, delinquentem ex culpa egisse, lu-
benter concedam.

n) L. II. §. 8. D. de vi bonorum raptor.

§. XVI.

IGNORANTIA LEGIS NON PRAESVMITVR.

Eiusdem conditionis est regula, ignorantia iuris non praesumitur o). Quamquam cognitiones rerum, ceu res facti, non praesumantur, illa tamen propositio a vero non aberrat, positis iis, de quibus ea intelligi debet. Qui legem nescit, vel est ciuis reipublicae, in qua lata est, vel secus. Si posterius, non est ratio, cur illam excusemus et defendamus propositio-
nem: si prius, illa locum habet, scilicet, si lex legitime sit promulgata. Ex quibus simul patet, negata legis promulga-
tione, de existentia legis agi, quae non praesumitur.

o) L. IX. §. V. D. de iuris et facti ignorantia.

L. IX. C. de legib. et constitut. princip.

§. XVII.

§. XVII.

QVI SEMEL MALVS, SEMPER PRAESVMITVR MALVS.

Me verto ad praesumtiones iuris positivae; vbi vna cum iure naturae et voluntas legislatoris in censem venit, quaeque maioris sunt momenti. Inter eas non infimum locum occupat enunciatum: qui seinel malus, semper præsumitur malus *p).* Quod licet quadam restrictione, si malus in eodem genere, quo denuo deliquit, animo complectaris, non nihil tamen duri secum ferre videtur. Errare quidem humanum est, at semper errare, ex sana ratione hominis, in se considerata, necessario non sequitur. Si rem ductu solius iuris naturae dirimeres, hominem posse esse malum et secus, statuendum est. Quia in re leges positivae ius naturae addendo supplent. Neminem fugit, dolose agenti non succurrere iura, et poenas determinatas, non iure naturae, sed lege constitui positiva. Cum igitur reipublicae, ne delicta fiant, quam plurimum intersit; consulitur ciuitati, si princeps et alia mala consecutaria male agentibus adscribat, quae ius naturae ignorat. Notes quaeso, aliud esse, aliiquid non determinatur ex iure naturae, et aliud esse, aliiquid iuri naturae non repugnat. Illa præsumtio legibus naturalibus non determinatur, at neutquam iuri naturae repugnat.

p) reg. VIII. in 6to de R. I.

§. XVIII.

LIBERI POST NVPTIAS SEPTIMO MENSE, ET ANTE EVM,
NATI, HABENTVR LEGITIMI.

Inter aequissimas praesumtiones iuris merito principem occupat locum propositio: Liberi septimo mense initi matrimoni, et ante eum, nati perhibentur legitimi *q).* Ex iure naturae, quomodo inire et celebrare velint matrimonia, arbitrio hominum

hominum est relictum; attamen ei, vt matrimonio quidam honos et ordo praescribatur, si statum reipublicae intuearis, conuenit. Damnabantur secundum ius romanum ex illico coitu nati, quam duritatem iuris positivi Imperator IVSTINIANVS benignitate mentis ductus emolliuit *r).* Qui mihi obiciat, hanc praesumptionem magis sapere naturam fictionis iuris, ei respondeo, me quadam parte non dissentire, sed a me impetrare non posse, cur non eam propositiōnem adscribam praesumptionibus iuris positivi, quia probatio in contrarium admittitur. Liberi enim ante initii matrimonii septimum mensē nati, habentur legitimi, si parentes non contradicant, post septimum mensē celebratarum nuptiarum nati etiam habentur legitimi, quo tamen casu, contradicens pater contrarium probare tenetur.

q) L. XII. D. de statu hominum.

r) L. XI. C. de naturalibus liber.

§. XIX.

ACQVISITA DVRENTE MATRIMONIO IVRE ROMANO PRAE-SVMVNTVR ESSE MARITI.

Communio bonorum inter coniuges iure germanico stabilita, iuri naturae magis indulget, quam doctrina iuris romani, quod acquisita durante matrimonio competent marito *s)*, quia maritus et vxor, tanquam aequales, societatem ineunt conubiale. Cum communia onera vtriusque coniugis sint, communia etiam commoda esse deberent. At quia ius romanum ingentes marito tribuit praerogatiwas, eumque onere uxorem alendi defendendique *t)* obstrinxit, ratio non dubia est, cur leges positivae ita, vti dictum, disposuerint.

s) L. VI. C. de donat. inter vir. et vxor.

t) L. XIII. C. de negot. gest.

L. II. D. de iniur.

C

§. XX.

§. XX.

MAGISTRATVS TVTOREM IDONEVM CONSTITVISSE NON
PRAESVMITVR.

Plane et omnino singularis est praesumtio iuris positui, magistratum probare debere, quod tutorem, qui postea facultibus est lapsus, nocuitque bonis pupilli casu forsitan superueniente, eum constituerit idoneum. Ita enim expressis verbis refert VLPIANVS u): sed si magistratus satis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit, quo tutelae agi potest, sufficit. Probatio autem non pupillo incumbit, ut doceat fiduciifores soluendo non fuisse, cum acciperentur, sed magistratibus, ut doceant, eos soluendo fuisse. Id quod multis videri poterat mirum, qui fiat, ut magistratus, pro quo, vti supra expostum est, militat praesumtio veritatis, seu, vti dicere solent, legalis modi, probare debeat, officio se satisfecisse. At qui mente ponderet, romanos omni contentione ac studio eo laboresset, vt bona pupillorum salua conseruarentur, illorum curae hanc praesumtionem iuris exacte respondere, facile perspiciet.

u) L. I. §. XII et XIII. D. de magistratibus conuenientiis.

§. XXI.

RATIONE EXCEPTIONIS NON NUMERATAE PECVNIAE DUPLEX OCCVRRIT PRAESVMTIO IVRIS POSITIVI: ALTERA, PRAESVMITVR PECVNIA NON NUMERATA, SI INTRA BIENNIVM EX CHIROGRAPHO AGATVR: ALTERA, POST BIENNIVM PRAESVMITVR PECVNIA NUMERATA.

Multum a iure naturae recedere videtur praesumtio, chirographo dato, in quo debitor numerationem pecuniae confessus est, biennio vero nondum lapsu, creditorem se numerasse pecuniam, adeoque, agentem intra biennium ex chirographo solutionem probebare

bare debere x). Qui vero fata contractus litteralis ante tempora IVSTINIANI perspecta habet et explorata, non amplius animo ambiget de ratione, quae Imperatorem, ut ita statueret, mouerit. Creditores haut raro olim re angusta domi debitorum abusi erant. Ut igitur fraudes creditorum cauerentur, sanxit, ut debitores intra biennium conuenti essent securi. Contra noluit, ut lites a debitoribus contra creditores, ex chirographo post biennium agentes, mouerentur et protractarentur. Vnde constitutum est, ut post biennium neque exceptio pecuniae non numeratae locum haberet, neque huius exceptionis admitteretur probatio. Quo factum est, ut plurimi istorum ex chirographo post biennium conuentis, licet liquidis probationis mediis instructis, simpliciter denegarent probationem in contrarium, ita, ut ne doli exceptionem, quippe quae cum exceptione ista concurreret, admittendam putarent z). Quae sententia mihi videtur dura, nec cum reliquis iuris romani conuenire sancitis. Si enim creditor re vera non soluit pecuniam, conuenturus ex chirographo debitorem est in dolo. Dolose vero agentibus non succurrunt iura, neque exceptio doli cum exceptione non numeratae pecuniae plane coincidit, in primis cum illa perpetua sit a), haec vero temporaria. Quia igitur exceptioni non numeratae pecuniae post biennium oppositae datur probatio in contrarium, mihi ratio non videtur esse, cur exceptio non numeratae pecuniae non ascribam praesumptionibus iuris positivi.

x) L. V. L. VIII. L. XIV. C. de non num. pec.

z) a WERNHER Part. IV. Obs. XLVI. SCHAVMBVRG. annotat. ad STRV. Lib. III. Tit. XVI. aphor. VI.

a) L. II. §. V. D. de doli mali et metus except. §. XXII.

INVITATIO.

Quibus excusis, ad rem ipsam, cuius finis causa illa praefatus sum, aggredior. SERÉNISSIMVS AC POTENTISSLIMVS MAGNAE BRITANNIAE REX ET ELECTOR BRVNSVICO - LVNEBVRGICVS DOMINVS G E O R G I V S III. Dominus meus longe clementissimus, Academiae huius stator munificentissimus, mihi ex Academia Ernestina, in qua per quatuor lustra professoris iuris ordinarii gessi vices, euocato, in sua Vniuersitate litterata regia munus professoris iuris ordinarii clementissime demandauit, quod oratione inaugurali *de iure iniquo auspiciaturus* sum. Cui orationi habendae d. V. Maii h. a. definitus est. Ut igitur Serenissimus Princeps, Magnificus Academiae Prorektor, Illusterrimi S. R. I. Comites, Professores omnium ordinum longe celeberrimi, Commilitones Generosissimi ac Praemobilissimi, hunc actum sua praesentia honorificentissima in Auditorio publico hor. XI, exornare haud grauentur, omnibus precibus officiosissime et humanissime rogo et contendeo.

Memor mei officii simul offero Generosissimis ac Praemobilissimis Commilitonibus, qui corona nostra, et spes patriae sunt, meas recitationes instanti semestri aestiuo habendas:

- I) in b. BOEHMERI Introductionem in *Ius digestorum*, hor. VIII. et X. ac bis aut ter, hor. I. singulis hebdomadibus.
- II) in *Ius criminale secundum KOCHIANUM* sistema, hor. VII.
- III) Nec deero iis, qui desiderant praelectiones in *Ius canonicum*. Publice vero *Examinatorium* et *Disputatorium* in potiores controuerias iuris habebitur. Faxit summum Numen, ut haec conamina vergant in huius Academiae salutem.
Dab. Goettingae d. IV. Maii A. R. S. MDCCCLXXXIV.

Göttingen, Diss., 1784 (1)





409

1789/12/248
1781/1

A3

SPECIMEN ALTERVM
DE
**INDOLE PRAESVM-
TIONVM IVRIS**

QVO
AD ORATIONEM IN AVGVRALEM AVDIENDAM

QVA
MVNVS PROFESSORIS IVRIS ORDINARII
CLEMENTISSIME IPSI DEMANDATVM

D. V. MAII MDCCCLXXXIV

SVBITVRVS EST
OMNI PIETATE INVITAT
AC SIMVL
PRAELECTIONES SVAS ACADEMICAS INSTAN
AESTIVO HABENDAS
INDICIT

IOANNES NICOLAVS MOEC

MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS
BVRGICI A CONSILIIS AVLAE, PROFESSOR IVRIS ORDINA
IVRID, ASSESSOR.

G O T T I N G A E,
APVD IOANN. CHRISTIAN. DIET
ACADEM. TYPOGR.

